Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. III. Aesopus et Rusticus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

Visual Library

Fab. III.

Aesopus et Rusticus.

Vsu peritus hariolo velocior
Vulgo esse fertur: caussa sed non dicitur,
Notescet quae nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora pepererunt oues
Agnos humano capite. Monstro exterritus, 5
Ad consulendos currit moerens hariolos.
Hic pertinere ad domini respondet caput,
Et auertendum victima periculum.
Ille autem affirmat, coniugem esse adulteram,
Et insitiuos significari liberos: 10
Sed expiari posse maiori hostia.
Quid multa? variis dissident sententiis;
Hominisque curam cura maiore aggrauant.
Aesopus ibi stans, naris emunctae senex,
Natura nunquam verba cui potuit dare: 15
Si procurare vis ostentum, Rustice,
Vxores, inquit, da tuis pastoribus.

Spernere noli praecepta prudentum.

Qui vsu et experientia doctus, vulgo dicitur ingenio ipsos etiam hariolos vincere, qui coniectura didicerunt omnia consequi. Vnde nam vero dictum istud sit natum, primo sequenti fabula demonstrabitur. Rustico cuidam oues olim pepererant agnos humano capite. Monstro perterritus atque subtristis hariolos consulit, quid rei futurum istud portendet sibi. Respondet ex hariolis alius, in capite quod monstrum esset, agi iam de domini salute: suadet ergo, vt victima periculum auertere

tere ſtudeat. Alius, coniugem ſignificari adulteram eſſe, et ſobolem procreari nefario ſcelere: quod maiori hoſtia nunc expiandum eſſet. Alius alio videri volebat coniicere melius. Diuerſae erant ſententiae; atque ex eo diſſenſu homo ſolicitus magis et incertus relinquebatur. Forte fortuna illi ſubuenit Aeſopus, ille ſagaciſſimo praeditus ingenio ſenex, qui non facile paſſus eſt ſibi rerum externa ſpecie imponi. Si non vis, inquit, poſthac oſtentis vexari, paſtores tuos fac ſeſe vxoribus iungant.

Fab. IV.

Simii Caput.

Pendere ad lanium quidam vidit ſimium
Inter reliquas merces atque obſonia.
Quaeſiuit, quidnam ſaperet? Tum lanius iocans,
Quale, inquit, caput eſt, talis praeſtatur ſapor.
Ridicule magis hoc dictum, quam vere aeſtimo:
Quando et formoſos ſaepe inueni peſſimos:
Et turpi facie multos cognoui optimos.

Multi videntur, et non ſunt.

Apud lanium inter reliquas merces et obſonia vidit aliquis pendere ſimium, et quaeſiuit, quomodo ſaperet ille. Tum lanius iocans, cernis vtique, inquit, lepidum eſſe caput: oportet ergo, ſi quid praeſtare poſſum, vt lepide ſapiat. Sed illud iocoſe magis, quam vere dictum eſſe puto. Nam et formoſos ſaepius peſſimos, deformes contra optimos fuiſſe, deprehendi.